

P. TERENCEIUS AFER
HEAVTON TIMORVMENOS

DIDASCALIA

**INCIPIE HEAVTON TIMORVMENOS TERENCEI
ACTA LVDIS MEGALENSIBVS
L. CORNELIO LENTVLO L. VALERIO FLACCO AEDILIBVS CVRVLIBVS
EGERE L. AMBIVIVS TVRPIO L. ATILIVS PRAENESTINVS
MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI
ACTA I TIBIIS INPARIBVS DEINDE DVABVS DEXTRIS
GRAECA EST MENANDRV
FACTAST III M' IVVENTIO TI. SEMPRONIO COS.**

PERSONAE

**(PROLOGVS)
CHREMES SENEX
MENEDEMVS SENEX
CLITIPHO ADVLESCENS
CLINIA ADVLESCENS
SYRVS SERVOS
DROMO SERVOS
BACCHIS MERETRIX
ANTIPHILA VIRGO
SOSTRATA MATRONA
(CANTHARA) NVTRIX
PHRYGIA ANCILLA
(CANTOR)**

PERIOCHA

C. SVLPICI APOLLINARIS

In militiam proficisci gnatum Cliniam
amantem Antiphilam conpulit durus pater
animique sese angebat facti paenitens.
mox ut reversust, clam patrem devortitur
ad Clitiphonem. is amabat scortum Bacchidem.
cum accerseret cupitam Antiphilam Clinia,
ut eius Bacchis venit amica ac servolae
habitum gerens Antiphila: factum id quo patrem

suum celaret Clitipho. hic technis Syri
decem minas meretriculae aufert a sene.
Antiphila Clitiphonis reperitur soror:
hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

PROLOGVS

Nequoi sit vostrum mirum quor partis seni
poeta dederit quae sunt adulescentium,
id primum dicam, deinde quod veni eloquar.
ex integra Graeca integram comoediam
hodie sum acturus H[e]auton timorumenon, 5
duplex quae ex argumento facta est simplici.
novam esse ostendi et quae esset: nunc qui scripserit
et quonia Graeca sit, ni partem maxumam
existumarem scire vostrum, id dicerem.
nunc quam ob rem has partis didicerim paucis dabo. 10
oratorem esse voluit me, non prologum:
vostrum iudicium fecit; me actorem dedit.
sed hic actor tantum poterit a facundia
quantum ille potuit cogitare commode
qui orationem hanc scripsit quam dicturu' sum? 15
nam quod rumores distulerunt malevoli
multas contaminasse Graecas, dum facit
paucas Latinas: factum id esse hic non negat
neque se pigere et deinde facturum autumat.
habet bonorum exemplum quo exemplo sibi 20
licere [id] facere quod illi fecerunt putat.
tum quod malevolu' vetu' poeta dicitat
repente ad studium hunc se adplicasse musicum,
amicum ingenio fretum, haud natura sua:
arbitrium vostrum, vostra existumatio 25
valebit. quare omnis vos oratos volo,
ne plus iniquom possit quam aequom oratio.
facite aequi siti', date crescendi copiam
novarum qui spectandi faciunt copiam
sine vitiis. ne ille pro se dictum existumet 30
qui nuper fecit servo currenti in via
decesse populum: quor insano seruiat?
de illi(u)s peccatis plura dicet quom dabit

alias novas, nisi finem maledictis facit.
adeste aequo animo, date potestatem mihi 35
statariam agere ut liceat per silentium,
ne semper servo' currens, iratus senex,
edax parasitu', sycophanta autem inpudens,
avaru' leno adsidue agendi sint seni
clamore summo, cum labore maxumo. 40
mea causa causam hanc iustam esse animum inducite,
ut aliqua pars labori' minuatur mihi.
nam nunc novas qui scribunt nil parcunt seni:
siquae laboriosast, ad me curritur;
si lenis est, ad alium defertur gregem. 45
in hac est pura oratio. experimini
in utramque partem ingenium quid possit meum.
[si numquam avare pretium statui arti meae
et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
quam maxume servire vestris commodis:] 50
exemplum statuite in me, ut adolescentuli
vobis placere studeant potius quam sibi.

ACTVS I

Chremes Menedemus

I.i

CH. Quamquam haec inter nos nuper notitia admodumst
(inde adeo quod agrum in proxumo hic mercatus es)
nec rei fere sane amplius quicquam fuit, 55
tamen vel virtus tua me vel vicinitas,
quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
facit ut te audacter moneam et familiariter
quod mihi videre praeter aetatem tuam
facere et praeter quam res te adhortatur tua. 60
nam pro deum atque hominum fidem quid vis tibi aut
quid quaeris? annos sexaginta natus es
aut plus eo, ut conicio; agrum in his regionibus
meliorem neque preti maiori' nemo habet;
servos compluris: proinde quasi nemo siet, 65
ita attente tute illorum officia fungere.
numquam tam mane egredior neque tam vesperi
domum revortor quin te in fundo conspicer
fodere aut arare aut aliquid ferre denique.
nullum remitti' tempu' neque te respicis. 70

haec non voluptati tibi esse sati' certo scio. at
enim dices "quantum hic operi' fiat paenitet."
quod in opere faciundo operae consumis tuae,
si sumas in illis exercendis, plus agas.

ME. Chreme, tantumne ab re tuast oti tibi 75
aliena ut cures ea quae nil ad te attinent?

CH. homo sum: humani nil a me alienum puto.
vel me monere hoc vel percontari puta:
rectumst ego ut faciam; non est te ut deterream.

ME. mihi sic est usu'; tibi ut opu' factost face. 80

CH. an quoiquamst usus homini se ut cruciet? **ME.** mihi.

CH. si quid laborist nollem. sed quid istuc malist?
quaeso, quid de te tantum meruisti? **ME.** eheu!

CH. ne lacruma atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam:
ne retice, ne verere, crede inquam mihi: 85
aut consolando aut consilio aut re iuvero.

ME. scire hoc vis? **CH.** hac quidem causa qua dixi tibi.

ME. dicetur. **CH.** at istos rastros interea tamen
adpone, ne labora. **ME.** minime. **CH.** quam rem agis?

ME. sine me vocivom tempu' nequod dem mihi 90
labori'. **CH.** non sinam, inquam. **ME.** ah non aequom facis.

CH. hui tam gravis hos, quaeso? **ME.** sic meritumst meum.

CH. nunc loquere. **ME.** filium unicum adolescentulum
habeo. ah quid dixi habere me? immo habui, Chreme;
nunc habeam necne incertumst. **CH.** quid ita istuc? **ME.** scies. 95
est e Corintho hic advena anu' paupercula;
ei(u)s filiam ille amare coepit perditte,
prope iam ut pro uxore haberet: haec clam me omnia.

ubi rem rescivi, coepi non humanitus
neque ut animum decuit aegrotum adolescentuli 100
tractare, sed vi et via pervolgata patrum.

cotidie accusabam: "hem tibine haec diutius
licere speras facere me vivo patre,
amicam ut habeas prope iam in uxoris loco?
erras, si id credis, et me ignoras, Clinia. 105

ego te meum esse dici tantisper volo
dum quod te dignumst facies; sed si id non facis,
ego quod me in te sit facere dignum invenero.

nulla adeo ex re istuc fit nisi ex nimio otio.
ego istuc aetati' non amori operam dabam, 110
sed in Asiam hinc abii propter pauperiem atque ibi
simul rem et gloriam armis belli repperi."

postremo adeo res rediit: adulescentulus
 saepe eadem et graviter audiendo victus est;
 putavit me et aetate et benevolentia 115
 plus scire et providere quam se ipsum sibi:
 in Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.
CH. quid ais? **ME.** clam me profectu' mensis tris abest.
CH. ambo accusandi; etsi illud inceptum tamen
 animist pudenti' signum et non instrenui. 120
ME. ubi comperi ex is qui <ei> fuere conscii,
 domum revortor maestus atque animo fere
 perturbato atque incerto prae aegritudine.
 adsido: adcurrunt servi, soccos detrahunt;
 video alios festinare, lectos sternere, 125
 cenam adparare: pro se quisque sedulo
 faciebant quo illam mihi lenirent miseriam.
 ubi video, haec coepi cogitare "hem tot mea
 soli[us] solliciti sunt causa ut me unum expleant?
 ancillae tot me vestient? sumptus domi 130
 tantos ego solu' faciam? sed gnatum unicum,
 quem pariter uti his decuit aut etiam amplius,
 quod illa aetas magis ad haec utenda idoneast,
 eum ego hinc eieci miserum iniustitia mea!
 malo quidem me dignum quovis deputem, 135
 si id faciam. nam usque dum ille vitam illam colet
 inopem carens patria ob meas iniurias,
 interea usque illi de me supplicium dabo
 laborans parcens quaerens, illi serviens."
 ita facio prorsu': nil relinquo in aedibus 140
 nec vas nec vestimentum: conrasi omnia.
 ancillas servos, nisi eos qui opere rustico
 faciundo facile sumptum exsercirent suom,
 omnis produxi ac vendidi. inscripsi ilico
 aedis mercede. quasi talenta ad quindecim 145
 coegi: agrum hunc mercatu' sum: hic me exerceo.
 decrevi tantisper me minus iniuriae,
 Chreme, m<eo> gnato facere dum fiam miser;
 nec fas esse ulla me voluptate hic frui,
 nisi ubi ille huc salvo' redierit meu' particeps. 150
CH. ingenio te esse in liberos leni puto,
 et illum obsequentem siqui' recte aut commode
 tractaret. verum nec tu illum sati' noveras
 nec te ille; hoc qui fit? ubi non vere vivitur.

tu illum numquam ostendisti quanti penderes 155
nec tibi illest credere ausu' quae est aequom patri.
quod si esset factum, haec numquam evenissent tibi.
ME. ita res est, fateor: peccatum a me maxumest.
CH. Menedeme, at porro recte spero et illum tibi
salvom adfuturum esse hic confido propediem. 160
ME. utinam ita di faxint! **CH.** facient. nunc si commodumst,
Dionysia hic sunt hodie: apud me sis volo.
ME. non possum. **CH.** quor non? quaeso tandem aliquantulum
tibi parce: idem absens facere te hoc volt filius.
ME. non convenit, qui illum ad laborem in<pe>pulerim, 165
nunc me ipsum fugere. **CH.** sicine est sententia?
ME. sic. **CH.** bene vale. **ME.** et tu.-- **CH.** lacrimas excussit mihi
miseretque me eiu'. sed ut diei tempus est,
<tempust> monere me hunc vicinum Phanium
ad cenam ut veniat: ibo, visam si domist.-- 170

<Saltatio convivarum>

nil opu' fuit monitore: iamdudum domi
praesto apud me esse aiunt. egomet convivas moror.
ibo adeo hinc intro. sed quid crepuerunt fores
hinc a me? quinam egreditur? huc concessero.

Clitipho Chremes

I.ii

CL. Nil adhuc est quod vereare, Clinia: haudquaquam etiam cessant 175
et illam simul cum nuntio tibi hic adfuturam hodie scio.
proin tu sollicitudinem istam falsam quae te excruciat mittas.
CH. quicum loquitur filius?
CL. pater adest quem volui: adibo. pater, opportune advenis.
CH. quid id est? **CL.** hunc Menedemum nostin nostrum vicinum? **CH.** probe. 180
CL. huic filium scis esse? **CH.** audivi esse in Asia. **CL.** non est, pater:
apud nos est. **CH.** quid ais? **CL.** advenientem, e navi egredientem ilico
abduxi ad cenam; nam mihi cum <eo> iam inde usque a pueritia
f<ui>t semper familiaritas. **CH.** voluptatem magnam nuntias.
quam vellem Menedemum invitatum ut nobiscum esset, amplius 185
ut hanc laetitiam necopinanti primus obicerem <ei> domi!
atque etiam nunc tempus est. **CL.** cave faxis: non opus est, pater.
CH. quapropter? **CL.** quia enim incertumst etiam quid se faciat. modo venit;
timet omnia, patris iram et animum amicae se erga ut sit suae.
<ea>m misere amat; propter eam haec turba atque abitio evenit. **CH.** scio. 190

CL. nunc servolum ad eam in urbem misit et ego nostrum una Syrum.

CH. quid narrat? **CL.** quid ille? miserum se esse. **CH.** miserum? quem minu' crederest?

quid relicuist quin habeat quae quidem in homine dicuntur bona?

parentis, patriam incolumem, amicos genu' cognatos ditias.

atque haec perinde sunt ut illi(u)s animu' qui ea possidet: 195

qui uti scit <ei> bona; illi qui non utitur recte mala.

CL. immo ill' fuit senex inportunu' semper, et nunc nil magis vereor quam nequid in illum iratu' plus satis faxit, pater.

CH. illene? (sed reprimam me: nam in metu esse hunc illist utile.)

CL. quid tute tecum? **CH.** dicam: ut ut erat, mansum tamen oportuit. 200

fortasse aliquanto iniquior erat praeter ei(u)s lubidinem:

pateretur; nam quem ferret si parentem non ferret suom?

huncin erat aequom ex illi(u)s more an illum ex huiu' vivere?

et quod illum insimulat durum id non est; nam parentum iniuriae

uniu' modi sunt ferme, paullo qui est homo tolerabilis: 205

scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier,

praebent exigue sumptum; atque haec sunt tamen ad virtutem omnia.

verum ubi animus semel se cupiditate devinxit mala,

necessesit, Clitipho, consilia consequi consimilia. hoc

scitumst: periculum ex aliis face[re] tibi quod ex usu siet. 210

CL. ita credo. **CH.** ego ibo hinc intro, ut videam nobis quid in cena siet.

tu, ut tempus est diei, vide sis nequo hinc abeas longius.

ACTVS II

Clitipho

II.i

CL. Quam iniqui sunt patres in omnis adolescentis iudices!

qui aequom esse censent nos a pueris ilico nasci senes

neque illarum adfinis esse rerum quas fert adolescentia. 215

ex s<ua> lubidine moderantur nunc quae est, non quae olim fuit.

mihin si umquam filius erit, ne ille facili me utetur patre;

nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati locus:

non ut meus, qui mihi per alium ostendit s<ua>m sententiam.

perii! is mi, ubi adbibit plus paullo, sua quae narrat facinora! 220

nunc ait "periculum ex aliis facito tibi quod ex usu siet":

astutu'. ne ille haud scit quam mihi nunc surdo narret fabulam.

mage nunc me amicae dicta stimulant "da mihi" atque "adfer mihi":

quoi quod respondeam nil habeo; neque me quisquamst miserior.

nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen 225

habet bene et pudice eductam, ignaram artis meretriciae.

meast potens procax magnifica sumptuosa nobilis.
tum quod dem [<ei>] "recte" est; nam nil esse mihi religiosum dicere.
hoc ego mali non pridem inveni neque etiamdum scit pater.

Clinia Clitipho

II.ii

CLIN. Si mihi secundae res de amore m<eo> essent, iamdudum scio 230
venissent; sed vereor ne mulier me absente hic corrupta sit.
concurrunt multae opiniones quae mihi animum exaugeant:
occasio locus aetas mater quoi(u)s sub imperio mala,
quod nil iam praeter pretium dulcest. **CLIT.** Clinia. **CLIN.** ei misero mihi!
CLIT. etiam caves ne videat forte hic te a patre aliquis exiens? 235
CLIN. faciam; sed nescioquid profecto mi animu' praesagit mali.
CLIT. pergin istuc priu' diiudicare quam scis quid veri siet?
CLIN. si nil mali esset iam hic adesset. **CLIT.** iam aderunt. **CLIN.**
quando istuc erit?
CLIT. non cogitas hinc longule esse? et nosti mores mulierum:
dum moliuntur, dum conantur, annus est. **CLIN.** o Clitipho, 240
timeo. **CLIT.** respira: eccum Dromonem cum Syro una: adsunt tibi.

Syrus Dromo Clinia Clitipho

II.iii

SY. Ain tu? **DR.** sic est. **SY.** verum interea, dum sermones caedimus,
illae sunt relictae. **CLIT.** mulier tibi adest. audin, Clinia?
CLIN. ego vero audio nunc demum et video et valeo, Clitipho.
DR. minime mirum: adeo inpeditae sunt: ancillarum gregem 245
ducunt secum. **CLIN.** perii, unde illi sunt ancillae? **CLIT.** men rogas?
SY. non oportuit relictas: portant quid rerum! **CLIN.** ei mihi!
SY. aurum vestem; et vesperscit et non noverunt viam.
factum a nobis stultest. abi dum tu, Dromo, illis obviam.
propera: quid stas? **CLIN.** vae misero mi, quanta de spe decidi! 250
CLIT. quid istuc? quae res te sollicitat autem? **CLIN.** rogitas quid siet?
viden tu? ancillas aurum vestem, quam ego cum una ancillula
hic reliqui, unde esse censes? **CLIT.** vah nunc demum intellego.
SY. di boni, quid turbaest! aedes nostrae vix capient, scio.
quid comedent! quid ebibent! quid sene erit nostro miserius? 255
sed video eccos quos volebam. **CLIN.** o Iuppiter, ubinamst fides?
dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
conlocupletasti te, Antiphila, et me in his deseruisti malis,
propter quam in summa infamia sum et m<eo> patri minus [sum] obsequens:
quod(u)s nunc pudet me et miseret, qui harum mores cantabat mihi, 260

monuisse frustra neque eum potuisse umquam ab hac me expellere;
quod tamen nunc faciam; tum quom gratum mi esse potuit nolui.
nemost miserior me. **SY.** hic de nostris verbis errat videlicet
quae hic sumu' locuti. Clinia, aliter tuom amorem atque est accipis:
nam et vitast eadem et animu' te erga idem ac fuit, 265
quantum ex ipsa re coniecturam fecimus.

CLIN. quid est obsecro? nam mihi nunc nil rerum omniumst
quod malim quam me hoc falso suspicariet.

SY. hoc primum, ut ne quid hui(u)s rerum ignores: anus,
quae est dicta mater esse ei ant(e)hac, non fuit; 270
ea obiit mortem. hoc ipsa in itinere alterae
dum narrat forte audivi. **CLIT.** quaenamst altera?

SY. mane: hoc quod coepi primum enarrem, Clitipho:
post istuc veniam. **CLIT.** propera. **SY.** iam primum omnium,
ubi ventum ad aedis est, Dromo pultat fores; 275
anu' quaedam prodit; haec ubi aperuit ostium,
continuo hic se coniecit intro, ego consequor;
anu' foribus obdit pessulum, ad lanam redit.

hic sciri potuit aut nusquam alibi, Clinia,
quo studio vitam s<ua>m te absente exegerit, 280
ubi de improvisost interventum mulieri.

nam ea res dedit tum existumandi copiam
cotidianae vitae consuetudinem,
quae quoi(u)sque ingenium ut sit declarat maxume.
textentem telam studiose ipsam offendimus, 285
mediocriter vestitam veste lugubri

(ei(u)s anui' causa opinor quae erat mortua)
sine auro; tum ornatam ita uti quae ornantur sibi,
nulla mala re esse expolitam muliebri;
capillu' pexu' prolixus circum caput 290
reiectu' neglegenter; pax. **CLIN.** Syre mi, obsecro,

ne me in laetitiam frustra conicias. **SY.** anus
subtemen nebat. praeterea una ancillula
erat; ea texebat una, pannis obsita,
neglecta, inmundam inlue. **CLIT.** si haec sunt, Clinia, 295
vera, ita uti credo, quis te est fortunatior?

scin hanc quam dicit sordidatam et sordidam?
magnum hoc quoque signumst dominam esse extra noxiam,
quom eius tam negleguntur internuntii.

nam disciplinast isdem munerariet 300
ancillas primum ad dominas qui adfectant viam.

CLIN. perge, obsecro te, et cave ne falsam gratiam

studeas inire. quid ait ubi me nominas?

SY. ubi dicimus redisse te et rogare uti
veniret ad te, mulier telam desinit 305

continuo et lacrumis opplet os totum sibi,
ut facile scires desiderio id fieri [tuo].

CLIN. prae gaudio, ita me di ament, ubi sim nescio:
ita timui. **CLIT.** at ego nil esse scibam, Clinia.

agedum vicissim, Syre, dic quae illast altera? 310

SY. adducimus t<ua>m Bacchidem. **CLIT.** hem quid? Bacchidem?
eho sceleste, quo illam duci? **SY.** quo ego illam? ad nos scilicet.

CLIT. ad patrem[ne]? **SY.** ad eum ipsum. **CLIT.** o hominis inpuidentem
audaciam! **SY.** heus

non fit sine periclo facinu' magnum nec memorabile.

CLIT. hoc vide: in mea vita tu tibi laudem is quaesitum, scelus? 315
ubi si paullulum modo quid te fugerit, ego perierim.

quid illo facias? **SY.** at enim . . **CLIT.** quid "enim"? **SY.** si sinas, dicam.

CLIN. sine.

CLIT. sino. **SY.** ita res est haec nunc quasi quom . . **CLIT.** quas, malum,
ambages mihi

narrare occipit? **CLIN.** Syre, verum hic dicit: mitte, ad rem redi.

SY. enimvero reticere nequeo: multimodis iniurius, 320

Clitipho, es neque ferri potis es. **CLIN.** audiundum hercle est, tace.

[**CLIT.** quid est?] 321a

SY. vis amare, vis potiri, vis quod des illi effici;

tuom esse in potiundo periculum non vis: haud stulte sapis;
siquidem id saperest velle te id quod non potest contingere.

aut haec cum illis sunt habenda aut illa cum his mittenda sunt. 325

harum d<ua>rum condicionum nunc utram malis vide;

etsi consilium quod cepi rectum esse et tutum scio.

nam apud patrem tua amica tecum sine metu ut sit copias.

tum quod illi argentum es pollicitus, <ea>dem hac inveniam via,
quod ut efficerem orando surdas iam auris reddideras mihi. 330

quid aliud tibi vis? **CLIT.** siquidem hoc fit. **SY.** siquidem? experiundo scies.

CLIT. age age, cedo istuc t<uo>m consilium: quid id est? **SY.**

adsimulabimus

tuam amicam huius esse amicam. **CLIT.** pulchre: quid faciat sua?

an ea quoque dicitur huius, si una haec dedecorist parum?

SY. immo ad t<ua>m matrem abducetur. **CLIT.** quid eo? **SY.** longumst, Clitipho, 335

si tibi narrem quam ob rem id faciam. **CLIN.** vera causast. **CLIT.** fabulae!

nil sati' firmi video quam ob rem accipere hunc mi expediat metum.

SY. mane, habeo aliud, si istuc metui', quod ambo confiteamini

sine periclo esse. **CLIT.** huius modi obsecro aliquid reperi. **CLIN.** maxume.

SY. ibo obviam, hinc dicam ut revertantur domum. **CLIT.** hem 340
 quid dixti? **SY.** ademptum tibi iam faxo omnem metum,
 in aurem utramvis otiose ut dormias.
CLIT. quid ago nunc? **CLIN.** tune? quod boni . . **CLIT.** Syre! dic modo
 verum. **SY.** age modo: hodie sero ac nequiquam voles.
CLIN. datur, fruire dum licet; nam nescias . . 345
CLIT. Syre inquam! **SY.** perge porro, tamen istuc ago.
CLIN. ei(u)s sit potestas posthac an numquam tibi.
CLIT. verum hercle istuc est. Syre, Syre inquam, heus heus Syre!
SY. concaluit. quid vis? **CLIT.** redi, redi! **SY.** adsum: dic quid est?
 iam hoc quoque negabi' tibi placere. **CLIT.** immo, Syre, 350
 et me et meum amorem et famam permitto tibi.
 tu es iudex: nequid accusandu' sis vide.
SY. ridiculumst istuc me admonere, Clitipho,
 quasi istic minor mea res agatur quam tua.
 hic siquid nobis forte advorsi evenerit, 355
 tibi erunt parata verba, huic homini verbera:
 quapropter haec res ne utiquam neglectust mihi.
 sed istunc exora ut suam esse adsimulet. **CLIN.** scilicet
 facturum me esse; in eum iam res rediit locum
 ut sit necessu'. **CLIT.** merito te amo, Clinia. 360
CLIN. verum illa nequid titubet. **SY.** perdoctast probe.
CLIT. at hoc demiror qui tam facile potueris
 persuadere illi, quae solet quos spernere!
SY. in tempore ad eam veni, quod rerum omniumst
 primum. nam quendam misere offendi ibi militem 365
 ei(u)s noctem orantem: haec arte tractabat virum,
 ut illius animum cupidum inopia incenderet
 <ea>demque ut esset apud te hoc quam gratissimum.
 sed heus tu, vide sis nequid imprudens ruas!
 patrem novisti ad has res quam sit perspicax; 370
 ego te autem novi quam esse soleas inpotens;
 inversa verba, eversas cervices tuas,
 gemitus screatus tussis risus abstine.
CLIT. laudabi'. **SY.** vide sis. **CLIT.** tutemet mirabere.
SY. sed quam cito sunt consecutae mulieres! 375
CLIT. ubi sunt? quor retines? **SY.** iam nunc haec non est tua.
CLIT. scio, apud patrem; at nunc interim. **SY.** nihilo magis.
CLIT. sine. **SY.** non sinam inquam. **CLIT.** quaeso paullisper. **SY.** veto.
CLIT. saltem salutem . . **SY.** abeas si sapias. **CLIT.** eo.
 quid istic? **SY.** manebit. **CLIT.** [o] hominem felicem! **SY.** ambula. 380

Bacchis Antiphila Clinia Syrvs

II.iv

BA. Edepol te, mea Antiphila, laudo et fortunatam iudico,
id quom studuisti isti formae ut mores consimiles forent;
minimeque, ita me di ament, miror si te sibi quisque expetit.
nam mihi quale ingenium haberes fuit indicio oratio:
et quom egomet nunc mecum in animo vitam t<ua>m considero 385
omniumque adeo vostrarum volgu' quae ab se segregant,
et vos esse isti(u)s modi et nos non esse haud mirabilest.
nam expedit bonas esse vobis; nos, quibu'cum est res, non sinunt:
quippe forma impulsus nostra nos amatores colunt;
haec ubi immutata est, illi suom animum alio conferunt: 390
nisi si prospectum interea aliquid est, desertae vivimus.
vobis cum uno semel ubi aetatem agere decretumst viro,
quoi(u)s mos maxumest consimili' vostrum, [h]i se ad vos adplicant.
hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini,
ut numquam ulla amori vostro incidere possit calamitas. 395
AN. nescio alias: mequidem semper scio fecisse sedulo
ut ex illiu' commodo meum compararem commodum. **CL.** ah
ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis;
nam dum abs te absum omnes mihi labores f<ue>re quos cepi leves
praeter quam tui carendum quod erat. **SY.** credo. **CL.** Syre, vix suffero: 400
hocin me miserum non licere meo modo ingenium frui!
SY. immo ut patrem t<uo>m vidi esse habitum, diu etiam duras dabit.
BA. quisnam hic adulescens est qui intuitur nos? **AN.** ah retine me, obsecro!
BA. amabo quid tibist? **AN.** disperii, perii misera! **BA.** quid stupes,
Antiphila? **AN.** videon Cliniam an non? **BA.** quem vides? 405
CL. salve, anime mi. **AN.** o mi Clinia, salve. **CL.** ut vales?
AN. salvom venisse gaudeo. **CL.** teneone te,
Antiphila, maxume animo exspectatam meo?
SY. ite intro; nam vos iamdudum exspectat senex.

ACTVS III

Chremes Menedemvs

III.i

CH. Luciscit hoc iam. cesso pultare ostium 410
vicini, primum e me ut sciat sibi filium
redisse? etsi adolescentem hoc nolle intellego.
verum quom videam miserum hunc tam excruciarier
ei(u)s habitu, celem tam insperatum gaudium,

quom illi pericli nil ex indicio siet? 415
 haud faciam; nam quod potero adiutabo senem.
 item ut filium m<eu>m amico atque aequali suo
 video inservire et socium esse in negotiis,
 nos quoque senes est aequom senibus obsequi.
ME. aut ego profecto ingenio egregio ad miserias 420
 natus sum aut illud falsumst quod volgo audio
 dici, diem adimere aegritudinem hominibus;
 nam mihi quidem cotidie augescit magis
 de filio aegritudo, et quanto diutius
 abest mage cupio tanto et mage desidero. 425
CH. sed ipsum foras egressum video: ibo adloquar.
 Menedeme, salve: nuntium adporto tibi
 quoi(u)s maxume te fieri participem cupis.
ME. num quid nam de gnato meo audisti, Chreme?
CH. valet atque vivit. **ME.** ubinamst quaeso? **CH.** apud me domi. 430
ME. meu' gnatu'? **CH.** sic est. **ME.** venit? **CH.** certe. **ME.** Clinia
 meu' venit? **CH.** dixi. **ME.** eamu': duc me ad eum, obsecro.
CH. non volt te scire se redisse etiam et tuom
 conspectum fugitat: propter peccatum hoc timet,
 ne tua durtia antiqua illa etiam adaucta sit. 435
ME. non tu illi dixti ut essem? **CH.** non. **ME.** quam ob rem, Chreme?
CH. quia pessume istuc in te atque [in] illum consulis,
 si te tam leni et victo esse animo ostenderis.
ME. non possum: sati' iam, sati' pater durus fui. **CH.** ah
 vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis 440
 aut largitate nimia aut parsimonia:
 in eandem fraudem ex hac re atque ex illa incidet.
 primum olim potiu' quam paterere filium
 commetare ad mulierculam, quae paullulo
 tum erat contenta quoique erant grata omnia, 445
 proterruisti hinc. ea coacta ingratiis
 postilla coepit victum volgo quaerere.
 nunc quom sine magno intertrimento non potest
 haberi, quidvis dare cupis. nam ut tu scias
 quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet, 450
 primum iam ancillas secum adduxit plus decem
 oneratas veste atque auro: satrapes si siet
 amator, numquam sufferre ei(u)s sumptus queat;
 nedum tu possis. **ME.** estne ea intu'? **CH.** sit rogas?
 sensi. nam unam ei cenam atque eiu' comitibus 455
 dedi; quod si iterum mihi sit danda, actum siet.

nam ut alia omittam, pytissando modo mihi
 quid vini absumsit "sic hoc" dicens; "asperum,
 pater, hoc est: aliud lenius sodes vide":
 relevi dolia omnia, omnis serias; 460
 omnis sollicitos habui--atque haec una nox.
 quid te futurum censes quem adsidue exedent?
 sic me di amabunt ut me t<ua>rum miseritumst,
 Menedeme, fortunarum. **ME.** faciat quidlubet:
 sumat consumat perdat, decretumst pati, 465
 dum illum modo habeam mecum. **CH.** si certumst tibi
 sic facere, illud permagni referre arbitror
 ut ne scientem sentiat te id sibi dare.
ME. quid faciam? **CH.** quidvis potiu' quam quod cogitas:
 per alium quemvis ut des, falli te sinas 470
 techinis per servolum; etsi subsensi id quoque,
 illos ibi esse, id agere inter se clanculum.
 Syru' cum illo vostro consusurrant, conferunt
 consilia ad adulescentes; et tibi perdere
 talentum hoc pacto satius est quam illo minam. 475
 non nunc pecunia agitur sed illud quo modo
 minimo periclo id demus adulescentulo.
 nam si semel tuom animum ille intellexerit,
 priu' proditurum te tuam vitam et prius
 pecuniam omnem quam abs te amittas filium, hui 480
 quantam fenestram ad nequitiam patefeceris,
 tibi autem porro ut non sit suave vivere!
 nam deteriores omnes sumu' licentia.
 quod quoique quomque inciderit in mentem volet
 neque id putabit pravom an rectum sit: petet. 485
 tu rem perire et ipsum non poteris pati:
 dare denegaris; ibit ad illud ilico
 qui maxume apud te se valere sentiet:
 abiturum se abs te esse ilico minitabitur.
ME. videre vera atque ita uti res est dicere. 490
CH. somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
 dum id quaero tibi qui filium restituerem.
ME. cedo dextram: porro te idem oro ut facias, Chreme.
CH. paratu' sum. **ME.** scin quid nunc facere te volo?
CH. dic. **ME.** quod sensisti illos me incipere fallere, 495
 id uti maturent facere: cupio illi dare
 quod volt, cupio ipsum iam videre. **CH.** operam dabo.
 paullum negoti mi obstat: Simus et Crito

vicini nostri hic ambigunt de finibus;
 me cepere arbitrum: ibo ac dicam, ut dixeram 500
 operam daturum me, hodie non posse is dare:
 continuo hic adero. **ME.** ita quaeso.-- di vostram fidem,
 ita comparatam esse hominum naturam omnium
 aliena ut meliu' videant et diiudicent
 quam sua! an eo fit quia in re nostra aut gaudio 505
 sumu' praepediti nimio aut aegritudine?
 hic mihi nunc quanto plus sapit quam egomet mihi!
CH. dissolvi me otiosus operam ut tibi darem.
 Syrus est prendendus atque adhortandus mihi.
 a me nescioquis exit: concede hinc domum 510
 ne nos inter nos congruere sentiant.

Syrus Chremes

III.ii

SY. Hac illac circumcursa; inveniundumst tamen
 argentum: intendenda in senemst fallacia.
CH. num me fefellit hosce id struere? videlicet
 ill' Cliniai servo' tardiusculust; 515
 idcirco huic nostro traditast provincia.
SY. quis hic loquitur? perii. numnam haec audivit? **CH.** Syre. **SY.** hem.
CH. quid tu istic? **SY.** recte equidem; sed te miror, Chreme,
 tam mane, qui heri tantum biberis. **CH.** nil nimis.
SY. "nil" narras? visa verost, quod dici solet, 520
 aquilae senectus. **CH.** heia. **SY.** mulier commoda et
 faceta haec meretrix. **CH.** sane. **SY.** idem visast tibi?
 et quidem hercle forma luculenta. **CH.** sic satis.
SY. ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona;
 minimeque miror Clinia hanc si deperit. 525
 sed habet patrem quendam avidum, miserum atque aridum
 vicinum hunc: nostin? at quasi is non ditiis
 abundet, gnatus ei(u)s profugit inopia.
 scis esse factum ut dico? **CH.** quid ego ni sciam?
 hominem pistrino dignum! **SY.** quem? **CH.** istunc servolum 530
 dico adulescenti' . . **SY.** Syre, tibi timui male!
CH. qui passus est id fieri. **SY.** quid faceret? **CH.** rogas?
 aliquid reperiret, fingeret fallacias
 unde esset adulescenti amicae quod daret,
 atque hunc difficilem invitum servaret senem. 535
SY. garris. **CH.** haec facta ab illo oportebant, Syre.
SY. eho quaeso laudas qui eros fallunt? **CH.** in loco

ego vero laudo. **SY.** recte sane. **CH.** quippe qui
magnarum saepe id remedium aegritudinumst:
iam huic mansisset unicus gnatus domi. 540
SY. iocone an serio ille haec dicat nescio;
nisi mihi quidem addit animum quo lubeat magis.
CH. et nunc quid exspectat, Syre? an dum hic denuo
abeat, quom tolerare illi(u)s sumptus non queat?
nonne ad senem aliquam fabricam fingit? **SY.** stolidus est. 545
CH. at te adiutare oportet adolescentuli
causa. **SY.** facile equidem facere possum si iubes;
etenim quo pacto id fieri soleat calleo.
CH. tanto hercle melior. **SY.** non est mentiri meum.
CH. fac ergo. **SY.** at heus tu facito dum eadem haec memineras 550
siquid huius simile forte aliquando evenerit,
ut sunt humana, tuos ut faciat filius.
CH. non usu' veniet, spero. **SY.** spero hercle ego quoque,
neque eo nunc dico quo quicquam illum senserim;
sed siquid, nequid. quae sit ei(u)s aetas vides; 555
et ne ego te, si usu' veniat, magnifice, Chreme,
tractare possim. **CH.** de istoc, quom usu' venerit,
videbimus quid opu' sit: nunc istuc age.--
SY. numquam commodius umquam erum audivi loqui,
nec quom male facere[m] crederem mi impunius 560
licere. quisnam a nobis egreditur foras?

Chremes Clitipho Syrus

III.iii

CH. Quid istuc quaeso? qui istic mos est, Clitipho? itane fieri oportet?
CL. quid ego feci? **CH.** vidin ego te modo manum in sinum huic meretrici
inserere? **SY.** acta haec res est: perii. **CL.** mene? **CH.** hisce oculis, ne nega.
facis adeo indigne iniuriam illi qui non abstineas manum. 565
nam istaec quidem contumeliast,
hominem amicum recipere ad te atque ei(u)s amicum subigitare.
vel here in vino quam inmodestu' f<ui>sti . . **SY.** factum. **CH.** quam molestus!
ut equidem, ita me di ament, metui quid futurum denique esset!
novi ego amantium animum: advortunt graviter quae non censeas. 570
CL. at mihi fides apud hunc est nil me istiu' facturum, pater.
CH. esto; at certe concedas aliquo ab ore <eo>rum aliquantisper.
multa fert lubido: ea facere prohibet tua praesentia.
ego de me facio coniecturam: nemo m<eo>rum amicorum hodie
apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam. 575
apud alium prohibet dignitas; apud alium ipsi(u)s facti pudet,

ne ineptu', ne protervo' videar: quod illum facere credito.
 sed nostrum est intellegere utquomque atque ubiquomque opu' sit obsequi.
SY. quid istic narrat! **CL.** perii. **SY.** Clitipho, haec ego praecipio tibi?
 homini' frugi et temperanti' functu's officium? **CL.** tace sodes. 580
SY. recte sane. **CL.** Syre, pudet me. **SY.** credo: neque id iniuria; quin
 mihi molestumst. **CL.** perdis hercle. **SY.** verum dico quod videtur.
CL. nonne accedam ad illos? **CH.** eho quaeso, una accedundi viast?
SY. actumst: hic priu' se indicarit quam ego argentum effecero.
 Chreme, vin tu homini stulto mi auscultare? **CH.** quid faciam? **SY.** Iube hunc 585
 abire hinc aliquo. **CL.** quo ego hinc abeam? **SY.** quo lubet: da illis locum:
 abi d<ea>mbulatum. **CL.** d<ea>mbulatum? quo? **SY.** vah quasi desit locus.
 abi sane istac, istorsum, quovis. **CH.** recte dicit, censeo.
CL. di te eradicent, Syre, qui me hinc ~extrudis~!
SY. at tu pol tibi istas posthac comprimito manus!-- 590
 censen vero? quid illum porro credas facturum, Chreme,
 nisi eum, quantum tibi opi' di dant, servas castigas mones?
CH. ego istuc curabo. **SY.** atqui nunc, ere, tibi istic adservandus est.
CH. fiet. **SY.** si sapias; nam mihi iam minu' minusque obtemperat.
CH. quid tu? ecquid de illo quod dudum tecum egi egisti, Syre, aut 595
 repperisti tibi quod placeat an non[dum etiam]? **SY.** de fallacia
 dicis? est: inveni nuper quandam. **CH.** frugi es. cedo quid est?
SY. dicam, verum ut aliud ex alio incidit. **CH.** quidnam, Syre?
SY. pessuma haec est meretrix. **CH.** ita videtur. **SY.** immo si scias.
 vah vide quod inceptet facinu'. f<ui>t quaedam anu' Corinthia 600
 hic: huic drachumarum haec argenti mille dederat mutuom.
CH. quid tum? **SY.** ea mortuast: reliquit filiam adolescentulam.
 ea relicta huic arraboni est pro illo argento. **CH.** intellego.
SY. hanc secum huc adduxit, ea quae est nunc apud uxorem tuam.
CH. quid tum? **SY.** Cliniam orat sibi uti [id] nunc det: illam illi tamen 605
 post daturum: mille nummum poscit. **CH.** et poscit quidem? **SY.** hui,
 dubium id est? ego sic putavi. **CH.** quid nunc facere cogitas?
SY. egon? ad Menedemum ibo: dicam hanc esse captam ex Caria
 ditem et nobilem; si redimat magnum inesse in ea lucrum.
CH. erras. **SY.** quid ita? **CH.** pro Menedemo nunc tibi ego respondeo 610
 "non emo": quid ages? **SY.** optata loquere. **CH.** qui? **SY.** non est opus.
CH. non opus est? **SY.** non hercle vero. **CH.** qui istuc, miror. **SY.** iam scies.
CH. mane, mane, quid est quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?

ACTVS IV

Sostrata Chremes Nvtrix Syrvs

IV.i

SO. Nisi me animu' fallit, hic profectost anulus quem ego suspicor,
is quicum expositast gnata. **CH.** quid volt sibi, Syre, haec oratio? 615

SO. quid est? isne tibi videtur? **NV.** dixi equidem, ubi mi ostendisti, ilico
eum esse. **SO.** at ut sati' contemplata modo sis, mea nutrix. **NV.** satis.

SO. abi nunciam intro atque illa si iam laverit mihi nuntia.

hic ego virum interea opperibor. **SY.** te volt: videas quid velit.

nescioquid tristis est: non temerest: timeo quid sit. **CH.** quid siet? 620
ne ista hercle magno iam conatu magnas nugas dixerit.

SO. ehem mi vir. **CH.** ehem mea uxor. **SO.** te ipsum quaero. **CH.** loquere
quid velis.

SO. primum hoc te oro, nequid credas me advorsum edictum tuom
facere esse ausam. **CH.** vin me istuc tibi, etsi incredibilest, credere?
credo. **SY.** nescioquid peccati portat haec purgatio. 625

SO. meministin me ess(e) gravidam et mihi te maxumo opere edicere,
si puellam parerem, nolle tolli? **CH.** scio quid feceris:

sustulisti. **SY.** sic est factum: dom(i)na ego, eru' damno auctus est.

SO. minime; sed erat hic Corinthia anus haud inpura: <ei> dedi
exponendam. **CH.** o Iuppiter, tantam esse in animo inscitiam! 630

SO. perii: quid ego feci? **CH.** rogitas? **SO.** si peccavi, mi Chreme,
insciens feci. **CH.** id equidem ego, si tu neges, certo scio,

te inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia:

tot peccata in hac re ostendi'. nam iam primum, si meum
imperium exsequi voluisses, interemptam oportuit, 635

non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitae dare.

at id omitto: misericordia, animu' maternus: sino.

quam bene vero abs te prospectumst quod voluisti cogita:

nempe anui illi prodita abs te filiastrum planissime,

per te vel uti quaestum faceret vel uti veniret palam. 640

credo, id cogitasti: "quidvis satis est dum vivat modo."

quid cum illis agas qui neque ius neque bonum atque aequom sciunt,
melius peius, prosit obsit, nil vident nisi quod lubet?

SO. mi Chreme, peccavi, fateor: vincor. nunc hoc te obsecro,
quanto tuos est animu' natu' gravior, ignoscentior, 645

ut meae stultitiae in iustitia tua sit aliquid praesidi.

CH. scilicet equidem istuc factum ignoscam; verum, Sostrata,
male docet te mea facilitas multa. sed istuc quidquid est

qua hoc oceptumst causa loquere. **SO.** ut stultae et misere omnes sumus
religiosae, quom exponendam do illi, de digito anulum 650

detraho et eum dico ut una cum puella exponeret:

si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.

CH. istuc recte: conservasti te atque illam. **SO.** is hic est anulus.

CH. unde habes? **SO.** quam Bacchi' secum adduxit adolescentulam, **SY.** hem.
CH. quid illa narrat? **SO.** ea lavatum dum it, servandum mihi dedit. 655
 animum non advorti primum; sed postquam aspexi ilico
 cognovi, ad te exsilui. **CH.** quid nunc suspicare aut invenis
 de illa? **SO.** nescio nisi ex ipsa quaeras unde hunc habuerit,
 si potis est reperiri. **SY.** interii: plus sp<ei> video quam volo:
 nostrast, si itast. **CH.** vivitne illa quoi tu dederas? **SO.** nescio. 660
CH. quid renuntiavit olim? **SO.** fecisse id quod iusseram.
CH. nomen mulieri' cedo quid sit, ut quaeratur. **SO.** Philtrae.
SY. ipsast. mirum ni illa salvast et ego perii. **CH.** Sostrata,
 sequere me intro hac. **SO.** ut praeter spem evenit! quam timui male
 ne nunc animo ita esses duro ut olim in tollendo, Chreme! 665
CH. non licet hominem esse saepe ita ut volt, si res non sinit.
 nunc ita tempus est mi ut cupiam filiam: olim nil minus.

Syrvs

IV.ii

SY. Nisi me animu' fallit multum, haud multum a me aberit infortunium:
 ita hac re in angustum oppido nunc m<eae> coguntur copiae;
 nisi aliquid video ne esse amicam hanc gnati resciscat senex. 670
 nam quod de argento sperem aut posse postulem me fallere
 nil est; triumpho si licet me latere tecto abscedere.
 crucior bolum tantum mi ereptum tam desubito e faucibus.
 quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineundast mihi.
 nil tam difficilest quin quaerendo investigari possiet. 675
 quid si hoc nunc sic incipiam? nilst. quid si sic? tantundem egero.
 at sic opinor: non potest. immo optume. euge habeo optumam.
 retraham hercle opinor ad me
 idem ego illuc hodie fugitivom argentum tamen. 678a

Clinia Syrvs

IV.iii

CL. Nulla mihi res posthac potest iam intervenire tanta
 quae mi aegritudinem adferat: tanta haec laetitia obortast.
 dedo patri me nunciam ut frugalior sim quam volt.
SY. nil me fefellit: cognitast, quantum audio huiu' verba.
 istuc tibi ex sententia tua obtigisse laetor.
CL. o mi Syre, audisti obsecro? **SY.** quidni? qui usque una adfuerim.
CL. quoi aequae audisti commode quicquam evenisse? **SY.** nulli. 685
CL. atque ita me di ament ut ego nunc non tam meapte causa
 laetor quam illiu'; quam ego scio esse honore quovis dignam.

SY. ita credo. sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim;
nam amici quoque res est videnda in tutum ut conlocetur,
nequid de amica nunc senex. **CL.** o Iuppiter! **SY.** quiesce. 690
CL. Antiphila mea nubet mihi. **SY.** sicin mi interloquere?
CL. quid faciam? Syre mi, gaudeo: fer me. **SY.** fero hercle vero.
CL. deorum vitam apti sumus. **SY.** frustra operam opino[r] hanc sumo.
CL. loquere: audio. **SY.** at iam hoc non ages. **CL.** agam. **SY.**
videndumst, inquam,
amici quoque res, Clinia, t<ui> in tuto ut conlocetur. 695
nam si nunc a nobis abis et Bacchidem hic relinquis,
senex resciscet ilico esse amicam hanc Clitiphonis;
si abduxeris, celabitur, itidem ut celata adhuc est.
CL. at enim istoc nil est mage, Syre, m<ii>s nuptiis advorsum.
nam quo ore appellabo patrem? tenes quid dicam? **SY.** quidni? 700
CL. quid dicam? quam causam adferam? **SY.** qui nolo mentiare:
aperte ita ut res sese habet narrato. **CL.** quid ais? **SY.** iubeo:
illam te amare et velle uxorem, hanc esse Clitiphonis.
CL. bonam atque iustam rem oppido imperas et factu facilem.
et scilicet iam me hoc voles patrem exorare ut celet 705
senem vostrum? **SY.** immo ut recta via rem narret ordine omnem. **CL.** hem
sati' sanus es et sobrius? tuquidem illum plane perdis.
nam qui ille poterit esse in tuto, dic mihi?
SY. huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice ecfero,
qui vim tantam in me et potestatem habeam tantae astutiae 710
vera dicendo ut eos ambos fallam: ut quom narret senex
voster nostro istam esse amicam gnati, non credat tamen.
CL. at enim spem istoc pacto rursus nuptiarum omnem eripis;
nam dum amicam hanc m<ea>m esse credet, non committet filiam.
tu fors quid me fiat parvi pendi', dum illi consulas. 715
SY. quid, malum, me aetatem censes velle id adsimularier?
unus est dies dum argentum eripio: pax: nil amplius.
CL. tantum sat habes? quid tum quaeso si hoc pater resciverit?
SY. quid si redeo ad illos qui aiunt "quid si nunc caelum ruat?"
CL. metuo quid agam. **SY.** metui'? quasi non ea potestas sit tua 720
quo velis in tempore ut te exsolvas, rem facias palam.
CL. age age, transducatur Bacchis. **SY.** optume ipsa exit foras.

Bacchis Clinia Syrvs Dromo Phrygia

IV.iv

BA. Sati' pol proterve me Syri promissa huc induxerunt,
decem minas quas mihi dare pollicitust. quodsi nunc me
deceperit saepe obsecrans me ut veniam, frustra veniet; 725

aut quom venturam dixerō et constituero, quom is certe
renuntiarit, Clitipho quom in spe pendebit animi,
decipiam ac non veniam, Syrus mihi tergo poenas pendet.
CL. sati' scite promittit tibi. **SY.** atqui tu hanc iocari credis?
faciet nisi caveo. **BA.** dormiunt: ego pol istos commovebo. 730
mea Phrygia, audisti modo iste homo quam villam demonstravit
Charini? **PH.** audivi. **BA.** proxumam esse huic fundo ad dextram? **PH.** memini.
BA. curriculo percurrere: apud eum miles Dionysia agitat:
SY. quid inceptat? **BA.** dic me hic oppido esse invitam atque adservari,
verum aliquo pacto verba me his daturam esse et venturam. 735
SY. perii hercle. Bacchi', mane, mane: quo mittis istanc quaeso?
iube maneat. **BA.** i. **SY.** quin est paratum argentum. **BA.** quin ego maneo.
SY. atqui iam dabitur. **BA.** ut lubet. num ego insto? **SY.** at scin quid sodes?
BA. quid? **SY.** transeundumst nunc tibi ad Menedemum et tua pompa
<eo> transducendast. **BA.** quam rem agis, scelus? **SY.** egon? argentum cudo 740
quod tibi dem. **BA.** dignam me putas quam inludas? **SY.** non est temere.
BA. etiamne tecum hic res mihist? **SY.** minime: tuom tibi reddo.
BA. eatur. **SY.** sequere hac. heus, Dromo. **DR.** quis me volt? **SY.** Syru'.
DR. quid est r<ei>?
SY. ancillas omnis Bacchidis tra<ns>duce huc ad vos propere.
DR. quam ob rem? **SY.** ne quaeras: eferant quae secum huc attulerunt. 745
sperabit sumptum sibi senex levatum esse harunc abitu:
ne ille haud scit hoc paullum lucri quantum ei damnum adportet.
tu nescis id quod scis, Dromo, si sapiēs. **DR.** mutum dices.

Chremes Syrvs IV.v

CH. Ita me di amabunt ut nunc Menedemi vicem
miseret me tantum devenisse ad eum mali. 750
illancin mulierem alere cum illa familia!
etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet,
ita magno desiderio fuit <ei> filius;
verum ubi videbit tantos sibi sumptus domi
cotidianos fieri nec fieri modum, 755
optabit rursum ut abeat ab se filius.
Syrum optume eccum. **SY.** cesso hunc adoriri? **CH.** Syre. **SY.** hem.
CH. quid est? **SY.** te mihi ipsum iamdudum optabam dari.
CH. videre egisse iam nescioquid cum sene.
SY. de illo quod dudum? dictum [ac] factum reddidi. 760
CH. bonan fide? **SY.** bona hercle. **CH.** non possum pati
quin tibi caput demulceam; accede huc, Syre:
faciam boni tibi aliquid pro ista re ac lubens.
SY. at si scias quam scite in mentem venerit.

CH. vah gloriare evenisse ex sententia? 765
SY. non hercle vero: verum dico. **CH.** dic quid est?
SY. t<ui> Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem
Menedemo dixit Clinia, et ea gratia
secum adduxisse ne tu id persentisceres.
CH. probe. **SY.** dic sodes. **CH.** nimium, inquam. **SY.** immo si scias. 770
sed porro ausculta quod superest fallaciae:
sese ipse dicit t<ua>m vidisse filiam;
ei(u)s sibi conplacitam formam, postquam aspexerit;
hanc cupere uxorem. **CH.** modone quae inventast? **SY.** eam:
et quidem iubebit posci. **CH.** quam ob rem istuc, Syre? 775
nam prorsum nil intellego. **SY.** vah tardus es.
CH. fortasse. **SY.** argentum dabitur ei ad nuptias,
aurum atque vestem qui . . tenesne? **CH.** comparet?
SY. id ipsum. **CH.** at ego illi neque do neque despondeo.
SY. non? quam ob rem? **CH.** quam ob rem? me rogas? homini . . ? **SY.** 780
ut lubet.
non ego dicebam in perpetuom ut illam illi dares,
verum ut simulares. **CH.** non meast simulatio;
ita tu istaec tua misceto ne me admisceas.
egon quoi daturu' non sum, ut <ei> despondeam?
SY. credebam. **CH.** minime. **SY.** scite poterat fieri; 785
et ego hoc, quia dudum tu tanto opere iusseras,
<eo> coepi. **CH.** credo. **SY.** ceterum equidem istuc, Chreme,
aequi bonique facio. **CH.** atqui quam maxume
volo te dare operam ut fiat, verum alia via.
SY. fiat, quaeratur aliquid. sed illud quod tibi 790
dixi de argento quod ista debet Bacchidi,
id nunc reddendumst illi: neque tu scilicet
illuc confugies: "quid mea? num mihi datumst?
num iussi? num illa oppignerare filiam
meam me invito potuit?" verum illuc, Chreme, 795
dicunt: "ius summum saepe summast malitia."
CH. haud faciam. **SY.** immo aliis si licet, tibi non licet:
~omnes te in lauta et bene acta parte putant.~
CH. quin egomet iam ad eam deferam. **SY.** immo filium
iube potiu'. **CH.** quam ob rem? **SY.** quia enim in eum suspiciost 800
translata amori'. **CH.** quid tum? **SY.** quia videbitur
mage veri simile id esse, quom hic illi dabit;
et simul conficiam facilius ego quod volo.
ipse adeo adest: abi, ecfer argentum. **CH.** ecfero.

Clitipho Syrvs

IV.vi

CL. Nullast tam facili' res quin difficilis siet, 805
quam invitū' facias. vel me haec d<ea>mbulatio,
quam non laboriosa, ad languorem dedit.
nec quicquam mage nunc metuo quam ne denuo
miser aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
ut te quidem omnes di deae[que] quantumst, Syre, 810
cum istoc invento cumque incepto perduint!
huiū' modi mihi res semper comminiscere
ubi me excarnufices. **SY.** is tu hinc quo dignus es?
quam paene tua me perdidit protervitas!
CL. vellem hercle factum, ita meritu's. **SY.** meritu'? quo modo? 815
ne me istuc ex te prius audisse gaudeo
quam argentum haberes quod daturū' iam fui.
CL. quid igitur dicam tibi vis? abi<i>sti; mihi
amicam adduxti quam non licitumst tangere.
SY. iam non sum iratu'. sed scin ubi sit nunc tibi 820
tua Bacchis? **CL.** apud nos. **SY.** non. **CL.** ubi ergo? **SY.** apud Cliniam.
CL. perii. **SY.** bono animo es: iam argentum ad eam deferes
quod <ei> pollicitu's. **CL.** garris. unde? **SY.** a t<uo> patre.
CL. ludis fortasse me? **SY.** ipsa re experibere.
CL. ne ego sum homo fortunatu': deamo te, Syre. 825
SY. sed pater egreditur. cave quicquam admiratu' sis
qua causa id fiat; obsecundato in loco;
quod imperabit facito; loquitor paucula.

Chremes Clitipho Syrvs

IV.vii

CH. Vbi Clitipho hic est? **SY.** "eccum me" inque. **CL.** eccum hic tibi.
CH. quid r<ei> esset dixti[n] huic? **SY.** dixi pleraque omnia. 830
CH. cape hoc argentum ac defer. **SY.** i: quid stas, lapis?
quin accipis? **CL.** cedo sane. **SY.** sequere hac me ocuis.
tu hic nos dum eximus interea opperibere;
nam nil est illic quod moremur diutius.--
CH. minas quidem iam decem habet a me filia, 835
quas hortamentis esse nunc duco datas;
hasce ornamentis consequentur alterae;
porro haec talenta dotis adposcunt duo.
quam multa iniusta ac prava fiunt moribus!

mihi nunc relictis rebus inveniendus est 840
aliquis, labore inventa mea quoi dem bona.

Menedemvs Chremes

IV.viii

ME. Multo omnium nunc me fortunatissimum
factum puto esse quom te, gnate, intellego
resipisse. **CH.** ut errat! **ME.** te ipsum quaerebam, Chreme:
serva, quod in te est, filium, me ac familiam. 845
CH. cedo quid vis faciam? **ME.** invenisti hodie filiam.
CH. quid tum? **ME.** hanc uxorem sibi dari volt Clinia.
CH. quaeso quid tu homini's? **ME.** quid est? **CH.** iamne oblitus es
inter nos quid sit dictum de fallacia,
ut ea via abs te argentum auferretur? **ME.** scio. 850
CH. ea res nunc agitur ipsa. **ME.** quid narras, Chreme?
erravi? actast res? quanta de spe decidi! 851a
immo haec quidem quae apud me est Clitiphonis est
amica: ita aiunt. **CH.** et tu credis omnia.
et illum aiunt velle uxorem ut, quom desponderis,
des qui aurum ac vestem atque alia quae opu' sunt comparet. 855
ME. id est profecto: id amicae dabitur. **CH.** scilicet
daturum. **ME.** [v]ah frustra sum igitur gavisus miser.
quidvis tamen iam malo quam hunc amittere.
quid nunc renuntiem abs te responsum, Chreme,
ne sentiat me sensisse atque aegre ferat? 860
CH. aegre? nimium illi, Menedeme, indulges. **ME.** sine:
inceptumst: perfice hoc mi perpetuo, Chreme.
CH. dic convenisse, egisse te de nuptiis.
ME. dicam. quid deinde? **CH.** me facturum esse omnia,
generum placere; postremo etiam, si voles, 865
desponsam quoque esse dicito. **ME.** em istuc volueram.
CH. tanto ocius te ut poscat et tu, id quod cupis,
quam ocissime ut des. **ME.** cupio. **CH.** ne tu propediem,
ut istanc rem video, istius obsaturabere.
sed ut uti istaec sunt, cautim et paulatim dabis 870
si sapies. **ME.** faciam. **CH.** abi intro: vide quid postulet.
ego domi ero siquid me voles. **ME.** sane volo;
nam te scientem faciam quidquid egero.

ACTVS V

Menedemvs Chremes

V.i

ME. Ego me non tam astutum neque ita perspicacem esse id scio;
sed hic adiutor meus et monitor et praemonstrator Chremes 875
hoc mihi praestat: in me quidvis harum rerum convenit
quae sunt dicta in stulto, caudex stipes asinu' plumbeus;
in illum nil potest: exsuperat ei(u)s stultitia haec omnia.
CH. ohe iam desine deos, uxor, gratulando obtundere
tam esse inventam gnatam, nisi illos ex tuo ingenio iudicas 880
ut nil credas intellegere nisi idem dictumst centiens.
sed interim quid illic iamdudum gnatu' cessat cum Syro?
ME. quos ais homines, Chreme, cessare? **CH.** ehem, Menedeme, advenis?
dic mihi, Cliniae quae dixi nuntiastin? **ME.** omnia.
CH. quid ait? **ME.** gaudere adeo coepit quasi qui cupiunt nuptias. 885
CH. hahahae. **ME.** quid risisti? **CH.** servi venire in mentem Syri
calliditates. **ME.** itane? **CH.** voltu' quoque hominum fingit scelus.
ME. gnatu' quod se adsimulat laetum, id dicis? **CH.** id. **ME.** idem istuc mihi
venit in mentem. **CH.** veterator. **ME.** mage, si mage noris, putes
ita rem esse. **CH.** <ai>n tu? **ME.** quin tu auscultas. **CH.** mane; hoc 890
priu' scire expeto,
quid perdidideris. nam ubi desponsam nuntiasti filio,
continuo iniecisse verba tibi Dromonem scilicet,
sponsae vestem aurum atque ancillas opus esse: argentum ut dares.
ME. non. **CH.** quid? non? **ME.** non inquam. **CH.** neque ipse gnatu'? **ME.**
nil prorsum, Chreme.
magis unum etiam instare ut hodie conficiantur nuptiae. 895
CH. mira narras. quid Syru' meu'? ne is quidem quicquam? **ME.** nihil.
CH. quam ob rem, nescio. **ME.** equidem miror, qui alia tam plane scias.
sed ille tuom quoque Syrus idem mire finxit filium,
ut ne paullulum quidem subolat esse amicam hanc Cliniae.
CH. quid agit? **ME.** mitto iam osculari atque amplexari: id nil puto. 900
CH. quid est quod ampliu' simuletur? **ME.** vah. **CH.** quid est? **ME.** audi modo.
est mihi ultimis conclave in aedibus quoddam retro:
huc est intro latu' lectu', vestimentis stratus est.
CH. quid postquam hoc est factum? **ME.** dictum factum huc abiit Clitipho.
CH. solu'? **ME.** solu'. **CH.** timeo. **ME.** Bacchi' consecutast ilico. 905

CH. sola? **ME.** sola. **CH.** perii. **ME.** ubi abiere intro, operuere ostium. **CH.** hem Clinia haec fieri videbat? **ME.** quidni? mecum una simul.
CH. fili est amica Bacchi': Menedeme, occidi.
ME. quam ob rem? **CH.** decem dierum vix mi est familia.
ME. quid istuc times quod ille operam amico dat suo? 910
CH. immo quod amicae. **ME.** si dat. **CH.** an dubium id tibist?
quemquamne animo tam com[mun]i esse aut leni putas
qui se vidente amicam patiatur suam . . ? **ME.** ah
quidni? quo verba facilius dentur mihi.
CH. derides merito. mihi nunc ego suscenseo: 915
quot res dedere ubi possem persentiscere,
ni essem lapis! quae vidi! vae misero mihi!
at ne illud haud inultum, si vivo, ferent!
nam iam . . **ME.** non tu te cohibes? non te respicis?
non tibi ego exempli sati' sum? **CH.** prae iracundia, 920
Menedeme, non sum apud me. **ME.** tene istuc loqui!
nonne id flagitiumst te aliis consilium dare,
foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?
CH. quid faciam? **ME.** id quod me fecisse aiebas parum.
fac te patrem esse sentiat; fac ut audeat 925
tibi credere omnia, abs te petere et poscere,
nequam aliam quaerat copiam ac te deserat.
CH. immo abeat multo malo quovis gentium
quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.
nam si illi pergo suppeditare sumptibus, 930
Menedeme, mihi illaec vere ad rastros res redit.
ME. quot incommoditates in hac re capies, nisi caves!
difficilem te esse ostendes et ignosces tamen
post, et id ingratum. **CH.** ah nescis quam doleam. **ME.** ut lubet.
quid hoc quod rogo, ut illa nubat nostro? nisi quid est 935
quod mage vis. **CH.** immo et gener et adfines placent.
ME. quid doti' dicam te dixisse filio?
quid obticuisti? **CH.** dotis? **ME.** ita dico. **CH.** ah. **ME.** Chreme,
nequid vereare, si minu': nil nos dos movet.
CH. duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis; 940
sed ita dictu opus est, si me vis salvom esse et rem et filium,
me mea omnia bona doti dixisse illi. **ME.** quam rem agis?
CH. id mirari te simulato et illum hoc rogitato simul
quam ob rem id faciam. **ME.** quin ego vero quam ob rem id facias nescio.
CH. egone? ut eius animum, qui nunc luxuria et lascivia 945
diffluit, retundam redigam, ut quo se vortat nesciat.
ME. quid agi'? **CH.** mitte: sine me in hac re gerere mihi morem. **ME.** sino:

itane vis? **CH.** ita. **ME.** fiat. **CH.** ac iam uxorem ut accersat paret.
hic ita ut liberos est aequom dictis confutabitur;
sed Syrum . . **ME.** quid eum? **CH.** egone si vivo adeo exornatum dabo, 950
adeo depexum ut dum vivat meminerit semper mei;
qui sibi me pro deridiculo ac delectamento putat.
non, ita me di ament, auderet facere haec viduae mulieri
quae in me fecit.

Clitipho Menedemvs Chremes Syrvs

V.ii

CL. Itane tandem quaeso, Menedeme? ut pater
tam in brevi spatio omnem de me eiecerit animum patris? 955
quodnam ob facinu'? quid ego tantum sceleris admisi miser?
volgo faciunt. **ME.** scio tibi esse hoc graviu' multo ac durius,
quoi fit; verum ego haud minus aegre patior, id qui nescio
nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.
CL. hic patrem astare aibas. **ME.** eccum. **CH.** quid me incusas, Clitipho? 960
quidquid ego huiu' feci, tibi prospexi et stultitiae tuae.
ubi te vidi animo esse omisso et suavia in praesentia
quae essent prima habere neque consulere in longitudinem:
cepi rationem ut neque egeres neque ut haec posses perdere.
ubi quoi decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare, 965
abii ad proximum tibi qui erat; <ei> commisi et credidi:
ibi tuae stultitiae semper erit praesidium, Clitipho,
victu' vestitus quo in tectum te receptes. **CL.** ei mihi!
CH. satius est quam te ipso herede haec possidere Bacchidem.
SY. disperii: scelestu' quantas turbas concivi insciens! 970
CL. emori cupio. **CH.** priu' quaeso disce quid sit vivere.
ubi scies, si displicebit vita, tum istoc utitor.
SY. ere, licetne? **CH.** loquere. **SY.** at tuto. **CH.** loquere. **SY.** quae
istast pravitas
quaeve amentia, quod peccavi ego, id obesse huic? **CH.** ilicet.
ne te admisce: nemo accusat, Syre, te: nec tu aram tibi 975
nec precatorem pararis. **SY.** quid agi'? **CH.** nil suscenseo
neque tibi nec tibi; nec vos est aequom quod facio mihi.--

Clitipho Syrvs

V.iii

SY. Abiit? vah, rogasse vellem . . **CL.** quid? **SY.** und' mihi peterem cibum:
ita nos alienavit. tibi iam esse ad sororem intellego.
CL. adeon rem redi<i>sse ut periculum etiam a fame mihi sit, Syre! 980

SY. modo liceat vivere, est spes . . **CL.** quae? **SY.** nos esurituos satis.
CL. inrides in re tanta neque me consilio quicquam adiuvas?
SY. immo et ibi nunc sum et usque id egi dudum dum loquitur pater;
 et quantum ego intellegere possum . . **CL.** quid? **SY.** non aberit longius.
CL. quid id ergo? **SY.** sic est: non esse horum te arbitrator. **CL.** quid istuc, Syre? 985
 satin sanus es? **SY.** ego dicam quod mi in mentemst: tu diiudica.
 dum istis f<ui>sti solu', dum nulla alia delectatio
 quae propior esset, te indulgebant, tibi dabant; nunc filia
 postquamst inventa vera, inventast causa qui te expellerent.
CL. est veri simile. **SY.** an tu ob peccatum hoc esse illum iratum putas? 990
CL. non arbitrator. **SY.** nunc aliud specta: matres omnes filiis
 in peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria
 solent esse: id non fit. **CL.** verum dici'. quid ergo nunc faciam, Syre?
SY. suspicionem istanc ex illis quaere, rem profer palam.
 si non est verum, ad misericordiam ambos adduces cito, 995
 aut scibi' quoiu' [sis]. **CL.** recte suades: faciam.-- **SY.** sat recte hoc mihi
 in mentem venit; nam quam maxume huic visa haec suspicio
 erit <vera>, quamque adulescens maxume quam in minima spe situs 997a
 erit, tam facillume patri' pacem in leges conficiet suas.
 etiam haud scio anne uxorem ducat: ac Syro nil gratiae!
 quid hoc autem? senex exit foras: ego fugio. adhuc quod factumst, 1000
 miror non continuo adripi iusse: ad Menedemum hunc pergam.
 <eu>m mihi precatorem paro: seni nostro fide nil habeo.

Sostrata Chremes

V.iv

SO. Profecto nisi caves tu homo, aliquid gnato conficies mali;
 idque adeo miror, quo modo
 tam ineptum quicquam tibi venire in mentem, mi vir, potuerit. 1005
CH. oh pergin mulier esse? nullamne ego rem umquam in vita mea
 volui quin tu in ea re mi fueris advorsatrix, Sostrata!
 at si rogem iam quid est quod peccem aut quam ob rem hoc facias, nescias;
 in qua re nunc tam confidenter restas, stulta. **SO.** ego nescio?
CH. immo scis, potius quam quidem redeat ad integrum eadem oratio. 1010
SO. oh
 iniquos es qui me tacere de re tanta postules.
CH. non postulo iam: loquere: nihilo minus ego hoc faciam tamen.
SO. facies? **CH.** verum. **SO.** non vides quantum mali ex <ea> re excites?
 subditum se suspicatur. **CH.** "subditum" <ai>n tu? **SO.** sic erit,
 mi vir. **CH.** confitere? **SO.** au te obsecro, istuc inimicis siet. 1015
 egon confitear m<eu>m non esse filium, qui sit meus?
CH. quid? metui' ne non, quom velis, convincas esse illum tuom?

SO. quod filia est inventa? **CH.** non: sed, quo mage credendum siet,
id quod consimilest moribus
convincens facile ex te natum; nam tui similest probe; 1020
nam illi nil vitist relictum quin siet itidem tibi;
tum praeterea talem nisi tu nulla pareret filium.
sed ipse egreditur, quam severu'! rem, quom videas, censeas.

Clitipho Sostrata Chremes

V.v

CL. Si umquam ullum f<ui>t tempu', mater, quom ego voluptati tibi
fuerim, dictu' filiu' tuo' vostra voluntate, obsecro 1025
ei(u)s ut memineris atque inopi' nunc te miserescat mei,
quod peto aut quod volo, parentes m<eo>s ut conmonstres mihi.
SO. obsecro, mi gnate, ne istuc in animum inducas tuom
alienum esse te. **CL.** sum. **SO.** miseram me, hoccin quaesisti, obsecro?
ita mihi atque huic sis superstes ut ex me atque ex hoc natus es; 1030
et cave posthac, si me amas, umquam istuc verbum ex te audiam.
CH. at ego, si me metui', mores cave in te esse istos sentiam.
CL. quos? **CH.** si scire vis, ego dicam: gerro iners fraus helluo
ganeo's damnosu': crede, et nostrum te esse credito.
CL. non sunt haec parenti' dicta. **CH.** non, si ex capite sis meo 1035
natus, item ut aiunt Minervam esse ex Iove, <ea> causa magis
patiar, Clitipho, flagitiis t<ui>s me infamem fieri.
SO. di istaec prohibeant! **CH.** deos nescio: ego, quod potero, sedulo.
quaeris id quod habes, parentes; quod abest non quaeris, patri
quo modo obsequare et ut serves quod labore invenerit. 1040
non mihi per fallacias adducere ante oculos . . pudet
dicere hac praesente verbum turpe; at te id nullo modo
facere puduit. **CL.** eheu quam nunc totu' displiceo mihi,
quam pudet! neque quod principium incipiam ad placandum scio.

Menedemvs Chremes Sostrata Clitipho

V.vi

ME. Enimvero Chreme<s> nimi' graviter cruciat adolescentulum 1045
nimi'que inhumane: exeo ergo ut pacem conciliem. optume
ipsos video. **CH.** ehem, Menedeme, quor non accersi iubes
filiam et quod doti' dixi firmas? **SO.** mi vir, te obsecro
ne facias. **CL.** pater, obsecro mi ignoscas. **ME.** da veniam, Chreme:
sine te exorem. **CH.** egon mea bona ut dem Bacchidi dono sciens? 1050
non faciam. **ME.** at id nos non sinemu'. **CL.** si me vivom vis, pater,
ignosce. **SO.** age, Chreme mi. **ME.** age quaeso, ne tam offirma te, Chreme.

CH. quid istic? video non licere ut coeperam hoc pertendere.
ME. facis ut te decet. **CH.** <ea> lege hoc adeo faciam, si facit
quod ego hunc aequom censeo. **CL.** pater, omnia faciam: impera. 1055
CH. uxorem ut ducas. **CL.** pater . . ! **CH.** nil audio. **SO.** ad me recipio:
faciet. **CH.** nil etiam audio ipsum. **CL.** perii! **SO.** an dubitas, Clitipho?
CH. immo utrum volt. **SO.** faciet omnia. **ME.** haec dum incipias, gravia sunt,
dumque ignores; ubi cognori', facilia. **CL.** faciam, pater.
SO. gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames, 1060
filiam Phanocratae nostri. **CL.** rufanne illam virginem,
caesiam, sparso ore, adunco naso? non possum, pater.
CH. heia ut elegans est! credas animum ibi esse. **SO.** aliam dabo.
CL. immo, quandoquidem ducendast, egomet habeo propemodum
quam volo. **CH.** nunc laudo, gnate. **CL.** Archonidi huius filiam. 1065
SO. perplacet. **CL.** pater, hoc nunc restat. **CH.** quid? **CL.** Syro
ignoscas volo
quae m<ea> causa fecit. **CH.** fiat. **CANTOR.** vos valet et plaudite!